Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 28a novembris.

M. Symeone Malmedy Moderatore.

Utrum cuilibet Partium Principum facultati proprius spiritus?

Humani Corporis vis formatrix partium numero, collocatione, magnitudine, conformatione, earum mirabili inter se consensu, Corporum temperatissimum, & universo simillimum conformavit: ad usum autem & actionem totius organi, quo non plures, sed unus à Corpore nihil patiens & immortalis redderetur animus, facultates quasdam actionum effectrices, & spiritus instrumenta facultatis divino profusa calore partibus attribuit, quarum alias ministrantium principes esse voluit, Cor, Hepar, Cerebrum. Et quoniam viribus internis necessariis & procatarcticis multo pluribus, dissolutionem structurae opus, generationi dicatas partes adiunxit.

Principibus quidpiam vel praeparant, vel ab ipsis elaboratum, ministrantes partes deferunt. Cerebro retiformis, & choroides plexus & ventriculi duo per arterias carotidas à Corde ascendentem praeparant spiritum, nervorum multa paria distribuunt. Cordi ancillantur pulmo, arteria venosa, vena arteriosa, duabus constantes tunicis. Hepati ventriculus, intestina (quorum integumenta sunt duplicia) mesaraicae ~~[illegible]~~ duas in partes primum distributa Vena Cava, & insitas partium facultates influentibus confirmantur ministerium exhibent: vasa quatuor praeparantia, duoque deferentia generationi faciendae subserviunt.

Hepar calidum humidum inter viscera primum apparens, per umbilici venas, & arterias uteri affixas Cotyledonibus nutritur, in tunica nervulum habens, venas tamen & insignioris capacitatis expertes, venarum continens plexum tenuissimum. Unde fit ut non intemperie tantum, hydropem aut aliquem affectum inducente, aut scirrhosis tumoribus, sed etiam obstructione laboret, in quo domicilium habens facultas naturalis cuius in nutritione proficienda triplicium fibrarum, aut solius temperamenti, aut utriusque subsidio, ministras sibi quatuor facultates in massam sanguinis quatuor humoribus constantem, mutat Chylum. Ex sanguine crudum crassioribus purgant excrementis quatuor circumstantia conceptacula, vaporem officio, ac spiritum naturalem facultatis nutritoriae delatorem, & vitalis spiritus materiam.

Vitalis facultas eiusque instrumentum spiritus calidissimus in Corde ~~fundata~~ sedem habet calido sicco, quod mutuam à pulmone gratiam accipiens inspiratum aerem & praeparatum trahit, ex eius autem simili, & lucida substantia, vitalis fovetur spiritus, qualitate vero nativus temperatus calor, non aut suffocetur, aut si pro natura sua modo non ventilaretur, in igneum conversus interdum Ephemeram in spiritibus, aut in vasorum humoribus, synochum putridam, vel [illegible] in humoribus vero extra vasa intermittentem, aut in solidis febrem hecticam accendit, temperatus vero modo convenienti pulsuum officio & in omnes Corporis partes, arterias venis adiuvantibus vitam distribuit, & nativum calorem.

In Cerebro frigido & humido animalis residens facultas, Cordis vitalem spiritum & aerem naribus respiratione adductum mutat in spiritum sibi proprium quo nisi phrenitide, lethargo, catalepsi, epilepsia, aut simili impediatur affectu sic vitiatur. In toto Cerebro principes exercet functiones per nervorum vero cavitates imperceptibiles (quorum alii duplicem, alii triplicem habent vestientem tunicam) aut per substantiam nervorum qualitatis diffusione communicatam, in sensuum instrumentis, sensum in tertio ventriculi [illegible], in musculis voluntarium motum officio. Seminis autem generatio ~~huic~~ non huic facultati, sed [illegible] calori tribuenda, [illegible] à Corporis parte minima spiritus [illegible] allicitur. quamque tertiae Coctionis [illegible] dicitur benignum excrementum.

Partium Igitur Principum cuilibet facultati proprius Spiritus.

Respondebat Lutetiae Ma. Johannes faber [illegible] Rothomagensis · Anno · M·D·LXIIII·

Domini Doctores disputaturi.

M. Stephanus Gottin.
M. Augustinus frondebeuf.
M. Nicolaus Picart.
M. Joannes Duchon.
M. Joannes le Conte.
M. Claudius Rousselet.
M. Simon Bonet.
M. Nicolaus De Cormeilles.
M. Guillelmus Robineau.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE